


Narratiōnem liberis idōneam
 Alicia sūptam pōne lēniter precor
 ligant puellae quā memoriae cōpiās
 in gaudiōrum sarta veterum mystica,
 similia flōrum jam corōnae marcidae
 quōs in remōtis tractibus carpsit piē
 nactus viātor nūminis sacrārium.



CAPUT I

D ē s c ē n s u s
 i n C u n i c u l i C a v u m

Aliciam jam incipiēbat plūrimum taedēre juxtā sorōrem suam in rīpā sedēre nec quidquam habēre quod faceret. Semel et saepius in librum oculōs conjēcerat quem soror legēbat: sed eī inerant nec tabulae nec sermōnēs. “Quid adjuvat liber,” sēcum reputābat Alicia, “in quō sunt nullae tabulae aut sermōnēs?”

Itaque cōgitābat (nempe ut lūcidissimē poterat, nam tempestāte calidā torpēbat sēmisomna) num operae pretium esset surgere et flōsculōs carpere, modo ut sertum nectendō sē dēlectāret, cum subitō Cunīculus Albus oculis rūbeis prope eam praeteriit.

Neque in eō erat quidquam magnopere dignum memoriā: neque Aliciae valdē īsolitum vidēbātur ut Cunīculum sibi loquentem audīvit: “Vae, vae! Sērō perveniam!” Cum Alicia posteā dē hōc cōgitāret, in mentem occurrit id dēbuisse sibi mīrum vidērī, sed id temporis omnia vidēbantur ōrdināria. Sed ut Cunīculus *hōrologium parvulum rē vērā ē sinū*

subūculae extractum contemplātus usque festināvit, Alicia cito cōsurrēxit. In mentem enim ejus subitō incidit sē numquam antea cuniculum vīdisse quī aut subūculā induerētur aut hōrologium portāret quod ex eā extrahere posset. Ita Alicia, cūriōsitate ārdēns, Cuniculum trāns prātum persecūta in ipsō articulō eum cōspiciāta est cito dēscendentem in cavum sub vepribus situm.



Nōn diūtius morāta, Alicia post eum dēscendit, nē cōgitāns quidem quō pactō omnīnō rūsus ēmerget.

Aliquod spatium cuniculī cavum prōtinus rēctē porrigēbātur velut fossa subterrānea; deinde tam subitō dēclīve factum est ut Alicia, antequam sē sistere posset, inveniret sē dēcidere quasi in profundissimum puteum.

Sed sive puteus profundissimus erat sive ea lentissimē dēcidēbat, dēscendentī satis temporis eī erat ut circumspectāret et mirārētur quid proximē ēventūrum esset. Primō cōnābātur infrā dēspicere, ut discerneret quō adveniret. Sed propter obscuritatem nihil vidēre potuit. Deinde observābat latera puteī, quae plēna armariīs pluteisque esse videbat: passimque mappae terrārum et tabulae dē paxillis pendēbant. Praeteriēns Alicia dē unō pluteōrum ollam dētrāxit, titulō inscrip̄tam “AUREŌRUM DĒCOCTIŌ MĀLŌRUM”; at praeter spem vacua erat. Et cum ollam manū dēmittere nōllet, nē quem infrā interimeret, fēliciter effēcit ut, dum praeterit, in unum armariōrum eam dēpōneret.

“Eja!” sēcum reputāvit Alicia, “postquam ita longē dēcidi, dē scālis dēlābī nullius mōmentī erit! Quam fortem mē esse putābunt omnēs domī! Etiamsī enim dē summō tēctō dēlābar, nullum verbum ēdam.” (Quod prōrsus vērī simile sit.)

Deorsum, usque deorsum cadēbat. An numquam finis sit dēcidendī? “Nam mīror quot milia passuum” inquit Alicia “adhūc dēlāpsa sim. Mē jam oportet appropinquāre ad mediam partem globī terrestris. Cōgitā enim: ferē quater miliēns milia passuum oportet esse.” (Complūrēs enim hujus generis rēs Alicia in scholā didicerat; et quamquam occāsiō minimē opportūna erat scientiae ostentandae, quod nēmō aderat quī eam audiret, tamen bonae exercitātīōnī esse putābat haec iterāre.) “Ita est,” inquit Alicia, “id oportet esse spatium vērū. Sed quidnam attigī Lātitudinis vel Longitudinis?” (Omnīnō nesciēbat quid significārent verba “Lātitudō” vel “Longitudō”, sed eī vidēbantur verba grandiloqua esse.)

Mox iterum loquī coepit: “Dēmīror num prōrsus per tōtum globum dēlāpsūra sim. Quam erit mirābile inter gentēs ēmergere quae capitibus inversis incēdunt. Antipathīae,